

SECTIO VII.

DE

COMMODIS ET
ONERIBVS
PAROCHIALIBVS.

CAP. I.

De

Decimis & aliis præstationibus
parochialibus.

§. I.

Præter bona parochialia, ex quibus parochis ususfructus com-
petit, etiam alia emolumenta & fructus illis ex parochiis de-
bentur, quæ non tam ex bonis parochialibus, quam a paro-
chianis eorumque bonis præstantur, adeoque quodammodo
ad onera parochianorum referuntur, unde hanc materiam spe-
ciali sectione illustrandam enucleandamque esse cenſui. Sunt autem
illa emolumenta varii generis, alia magis certa & *fixa*, alia vero *extra-*
ordinaria, & certo demum casu obueniente debita &c.

Debentur e-
molumenta
ex bonis pa-
rochianorum
parochis,

§. II. Ad emolumenta *fixa* imprimis referri debent *decimæ*,
quæ sunt *quota pars omnium bonorum licite quaſitorum ministris ecclesie,*
& *hodie imprimis parochis exsoluenda.* HENRICVS CANISIUS *ad ius ca-*
non. tit. de decim. c. 1. n. 6. BARBOSA *de iure eccles. lib. 3. c. 26. n. 2.* REBVSFFVS
de decim. qu. 4. MONETA *de decim. c. 2.* Alii simplicius definiunt deci-
mas, *quotam fructuum vel lucri liciti portionem DEO debitam.* GONZAL.

TEL-